

stus, alias enim gustaret, quam bonus sit Domini: caret pedibus, nescit enim decurrere vias Domini. Imo non mutilum tantum est *membris justitiae*, sed & *membris injustitiae* deforme Rom. III. 13. amore mundi turget, guttur sepulchro aperto haud absimile, lingua doli plenissima, os execrationem & amarulentiam eructans, labia veneno aspidis infecta, pedes denique veloces sunt profundero sanguinem. Non est timor DEI coram oculis impiorum, ad viam salutis caligantibus, in tenebris autem tam cernentibus acutum quam

aut aquila aut serpens Epidaurius.

Privatio, quam in physicis ex parte materiae spectamus, est absentia formae, conjuncta cum aptitudine eam recipiendi. Per ea autem, quae hactenus attulimus, materiae regenerationis non tantum formae Christi expers est, sed & diaboli imagine deformata. Sed mittam9 allegoriam, ut ut hic loci innatam, subjectique regenerationis habitudinem clarius eloquamur. Regenerandus igitur homo quoad intellectum est *σκότος*. Eph. V. 8. Seu impotens est spiritualia objecta salutariter cognoscere, pronusque temere de eis judicare. Quantum ad voluntatem, impotens est ea desiderio & amore prosequi, & appetitum sensitivum in officio continere, legi DEI haud subjicitur, aliaque omnia sectatur cupidissime Denique appetit9 sensitivus aliarum facultatum, meliora suadentium, consilium imperiumque spernit, eisque quae sensum demulcent, unice inhiat, parum attendens, utrum legi divinae congruant, nec ne. Tales sortiebatur Apostolus Galatas, quando conversionem ipsorum primum moli-ebatur. Neque multo meliores erant, ex quo regenerationis gratia exciderant, decepti a pseudo-prophe-tis. Similes erant imagini, depictae mentienti tantum
vitam